This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

878
P80
H61

UNIV. OF MICHIGAN

A 467724

QUAESTIONES PROPERTIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDUARDUS HEYDENREICH

DRESDENSIS.

DRESDAE.

TYPIS C. C. MEINHOLDI ET FILIORUM TYPOGRAPHORUM REGIORUM

MDCCCLXXV.

1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

878
P80
H61

Index commentationum.

I. De elegiis II, 6. et III, 11.
II. De elegiis II, 1. et II, 4.
III. De elegia I, 8b.
IV. De elegia III, 1.
V. De loco V, 1, 33.—56.
VI. De loco I, 18, 21. 22.
VII. De fide codicum Propertianorum Neapolitani et Groningani.

264926

I. DE ELEGIIS II, 6. et III, 11.*)

Lacunarum, quas in libro secundo multas latere Lachmannus statuit, seriem dicit incipere inde ab elegia sexta; quam verum est tam corruptam ad nostram memoriam pervenisse, ut ne ab optimis quidem, quorum lucubrationes publici juris fiebant, interpretibus expediri potuerit. Tamen hujus carminis medelam sum propositurus. Ac primum quidem dicendum est viros quosdam doctos plus difficultatis in textum intulisse, quam re vera insunt. Ita Burmannus in editione et Struvius („observationum et emendationum Propertianarum specimen" 8. Altona 1804) pag. 65. post versum sextum versus intercidisse propterea suspicantur, quod pleniorem comparationem poeta addere debuerit. Desiderari enim si sanam sententiam proponere voluerit Propertius vel talia „quam tuas aedes obsident amatorum examina" vel simile quid. Sed Cynthiae mores nimia virorum turba stipatae cum Graecis comparari omnes mente supplent neque ullo modo necessarium est hoc planis verbis ubertim exponi. Deinde Struvius l. c. versus 15.– 22. alius carminis esse fragmentum, quod cum ceteris quae praecedunt una elegia contineri non possit, contendit, tamen nullo modo confirmat argumentis. Post versum enim quartum decimum exoptandum esse dicit jam additum iri exempla ex antiquis fabulis, quibus feminae liberiorem vitae morem amplexae multaque amatorum turba circumdatae

*) Numeris utor editionis Müllerianae.

hincque lites et jurgia orta ante oculos ponantur, Prorsus aliud autem legi. Verba enim fieri de rapta Helena, de rapta Hippodamia. Sed prorsus non cogimur, ut de sola Cynthia cum Graecis comparata cogitemus.

Nec solius ipsius vitia versu quinto decimo significare voluit Propertius (cfr. Gruppe, Minos pag. 510.), cum nec Centauri nec Trojanorum nec Graecorum duces hoc loco cum solo Propertio nimis timido comparentur. Immo haec vitia, quibus ad proelium ventum est, scilicet fidei ruptae et laesi amoris ad omnes homines qui ament spectant.

„Eadem" autem „dementia", in qua Struve haeret, refertur ad haec vitia amatoria antea indicata.

Jam ad hujus dementiae exempla a Graecis repetita egregie adduntur Romana inde a versu 19. Primum autem Romulus ipse criminis auctor, per quem amor quidlibet audeat, esse dicitur, cum castas Sabinas impune docuerit rapere (v. 19.—22.); alterum autem morum corruptorum argumentum ex lascivia hominum obscaenas tabellas depingentium sumitur (v. 27.—34.). Haec omnia bene se haberent, nisi subito de Admeti conjuge et lecto Ulixis mira ratione verba occurrerent versibus 23. sq. et post versum 26. nimis hiaret sententiarum nexus; itaque non sine caussa Lachmannus ante v. 25. et post v. 26. lacunas statuit.

Deinde post versum 40. tam subito ad aliud, de quo nemo ante cogitavit, transitus fit, ut optimo jure etiam post hunc versum asteriscorum signum positum sit. Fuerunt qui versus 41. 42. spurios dicerent. Ita Struve pag. 71. contendit a librario eos primum in margine ascriptos fuisse ut lemma elegiae sequentis, deinde in textum intrusos, et Gruppe Minos pag. 511. ab eis esse additos voluit, qui lacunas hujus elegiae explere sint conati. Tamen utrumque nullo argumento demonstratur. Nam quod dicit Gruppe uxoris mentionem non quadrare in genus poesis elegiacae hoc quid sibi velit prorsus non assequor. Scaligerum autem eosdem versus ab hac elegia, ut in fine elegiae

quae statim sequitur collocaret, male resecasse hoc jam Lachmannus bene adnotavit.

Non graviore argumento nisus Gruppe Minos l. c. versus 75. sq. delet. „Das Stück, inquit, von Vers 15.—22. zeigt seine Armseligkeit deutlich, es bleibt sehr im Unbestimmten.“ Versus autem 27.—34. id continuare, quod antea dictum erat „me juvenum pictae facies“ v. 9., neque in totum carmen quadrare sine justa caussa contendit id quod ex eis, quae supra de sententiarum nexu exposui, apparet. Porro valde dubito, num recte dixerit Gruppe pag. 520. Propertium illud „quae limina ponam“ (v. 37.) mente rettulisse ad v. 24. Nam hoc viri et amandi, non liminis notio, illo ea premuntur quae statim secuntur: „quae numquam supra pes inimicus eat.“

Nova autem, quae re vera exstat, difficultas in eo cernitur, quod distichon 35. 36., quo sententiarum nexu cum ceteris hujus carminis partibus conjungatur, tantopere non patet, ut et ante versum 35. et post versum 36. lacunas latere suspicati sint. Vides, quam misere corruptam habeamus elegiam. Nam cum merito scilicet hominum araneam velasse fanum jam antea tabellis obscaenis commemoratis poeta significaverit, non particula „sed“ uti potuit, sed potius „igitur“ dicere debebat. Contra si quis dixerit de deorum ira, qua contra homines templa picturis polluentes inflammati erant, cogitandum esse ita ut eorum merito factum esse dicatur, ut mala herba ipsorum statuas occupet; sententiam efficiat non planis verbis satis dilucide significatam. Conjectura autem „sed nunc“ ab Hertzbergio in textum recepta contra usum loquendi pugnare videtur cfr. Keilii obs. in Prop. pag. 43. Valde autem offendimur, quod prorsus non dicitur, cujus dei fanum intellegendum sit v. 35. Hanc difficultatem fortasse e medio tolleremus, si pro tecta „templa“ v. 33. scriberemus. Tamen haec conjectura jam propterea non placet, quod, etiamsi cupido hominum animos invasisset, templa obscaenis tabellis variare per Augustum vix licuit, cum

externa saltem rei publicae species et externus deorum cultus observaretur. cfr. Struve pag. 69. sq.

Itaque nihil relicum videtur nisi fanum referre ad unum duorum, quae erant (Liv. X. 23), templorum Pudicitiae, quae versu 25. commemorantur. Tale quid jam vidit Kuinoel, qui post v. 26. inserendos esse versus 35. 36. dicit in editione II, 181. et in obs. Prop. spec. III. pag. 8.

Quo autem illum sententiarum nexum, qui inter versus 21. sq. et 27. sq. intercedit, conjunctiorem faceret, fuit nuper qui versus 25. sq. ante versum 35. poneret etiam versibus 23. 24. de loco tradito remotis. Ita tamen ante versum 27. mire hiat non tam sententiarum nexus, quam verborum ipsorum conjunctio ne minima quidem illius sententiarum cohaerentiae significatione addita, ut de conjectura tale quid in textum inferendi sat magna sit difficultas. Certe multo elegantius poeta antea ad primam morum corruptorum caussam, quae in aspera amantium dementia (15.—18.) cernitur, ita novam de Romulo petitam addidit, ut interrogationem inculcaret hanc: „cur exempla petam Graium.“ Itaque etiam ante tertiam caussam ex tabellis obscaenis petitam novam interrogationem quae est in versibus 25. sq. inculcasse poeta mihi videtur sed ita, ut de loco suo removendos censeam versus 23. 24., qua de re postea agam. Neque inepte versus 26. ad versum 22. spectat.

Itaque facio cum Kuinoelio, sed scriptura „sed“ (v. 35.) aut in „sic“ mutata (cfr. Herbst animadv. in Prop. et Tac. 8 maj. Jenae 1815 pag. 26. sq.) aut quod mihi etiam magis placet in „si“ cfr. Lachmanni adn. ad h. l. pag. 124.

Conjecturam autem, quam Burmann proponit „emeritum“ scribi jubens pro „immerito“ (cfr. Prop. 5, 11, 72. „laudat ubi emeritum libera fama rogum.“ Ovid. fast. I, 665. „rusticus emeritum palo suspendat aratrum“), non nesessariam puto, cum illud „immerito“ ad feminas, quae obscaenas tabellas depinxerunt, sit referendum. Ante versum 37. lacuna non latet, cum nexus sententiarum satis apte procedat. Summa enim omnium, quae antecedunt, est

Cynthiam stipatam esse turba virorum et mores omnino esse corruptos. Cum „igitur“ periculum sit ut Cynthiae mores corrumpi desinant, egregie pergens, quae limina ne peccet puella ponenda sint, poeta interrogat.

Restat lacuna ante versum 41., quam ut expleret Fürstenau in progr. Rinteliano anni 1845., quo editae sunt quaestiones Propertianae, pag. 22. carmen III, 11., quod ratione tradita intellegi non posse contendit, fine elegiae II, 6. post versum 35. statuto cum hujus elegiae versibus 36.—41. ita conjunxit.

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos	III 11, 1. sqq.
Ludis et exsterno tincta nitore caput?	
Ut natura dedit sic omnis recta figurast:	
Turpis Romano Belgicus ore color.	
An si caeruleo quaedam sua tempora fuco	. ., 9. sq.
Tinxerit idcirco caerula forma bonast?	
Illi sub terris fiant mala multa puellae.	. ., 5. sq.
quae mentita suas vertit inepta comas.	
Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,	II 6, 37. sqq
Quae numquam supra pes inimicus eat?	
Nam nihil invitae tristis custodia prodest:	
Quam peccare pudet Cynthia tuta sat est.	
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,	III 11, 13 sq.
Nec nimis ornata fronte sedere velis.	
De me mi certe poteris formosa videri,	III 11, 7. 8.
Mi formosa satis, si modo saepe venis.	
Cum tibi nec frater nec sit tibi filius ullus,	III 11, 11. 12.
frater ego et tibi sim filius unus ego.	
Nos uxor numquam, numquam me ducet amica.	II 6, 41. 42.
Semper amica mihi, semper et uxor eris.	
Credam ego narranti, noli committere, famae:	III 11, 15. 16.
Et terram rumor transilit et maria.	

Hanc tamen, quae illi videbatur sanandi, rationem ego prorsus non probo. Nam ut concedam carmen III, 11. in codicibus recte non legi, qua de re infra agam, primum priorem partem carminis II, 6. non sanatam reliquit Fürstenau. Deinde in carmine, quod hic proposuit, postquam magno ore VI, 41. sq. promittit poeta semper Cynthiam amicam et uxorem sibi esse futuram, non placet quod III, 11,

15. sq. addit sese crediturum narranti famae et hortatur, ne committere velit. Accedit quod posse quidem illam conclusionem, quam particula „igitur" significatam (II 6, 37.) habemus, intellegi concedendum est, postquam antea summa illi puellae mala fieri dictum est, quae mentita inepta suas comas vertat; tamen multo fortior est conclusio magisque statim in oculos incurrit, si antea de moribus corruptissimis, qui etiam castae puellae summo periculo esse possint, de obscaenis tabellis, de Pudicitiae fano deserto actum est.

Sed etiam fundamentum, quo nititur Fürstenavii conjectura, prorsus corruit. Nam omnia in carmine III, 11. sat bene inter sese ita ut in codicibus leguntur cohaerent. Primum enim tribus distichis Propertius vituperat Cynthiam, quod externo nitore caput tincta demens Britannos imitetur; deinde duobus distichis affirmat eam ipsam semper sibi formosam futuram esse (scil. externo nitore remoto), postremo (iterum tribus distichis) hortatur Cynthiam ita ut dicat velle quidem sese ei fratrem esse tamen caveat, ne moribus suis scilicet nimio adhibito nitore externo efficiat ut credat famae. Similiter judicavit Drenckhahn in actis gymn. Berol. 1868. pag. 265. sq.

Lacunam autem illam, quae ante II, 6. 41. latet, conjectura multo leniore ita expedire possumus, ut versus 23. 24., quos jam supra de loco tradito removendos esse vidimus, ante versum 41. ponamus. Tum Cynthia cum Alcestide et Penelope comparata et cum omnibus feminis, quae ament virum, de se apte poeta addit semper sibi Cynthiam et amicam et uxorem esse futuram.

Quae cum ita sint, tantum abest, ut hanc elegiam II, 6. ex fragmentis compluribus prorsus non cohaerentibus constare dicamus vel Caruttio (novae editionis pag. 96. 97.) concedamus in duas eam elegias esse secernendam, quarum utraque ex fragmentis non cohaerentibus constet, ut omnia duobus tantum distichis transpositis et una scriptura lenissime mutata optime ita procedant:

Non ita conplebant Ephyreae Laidos aedes,
Ad cuius iacuit Graecia tota fores,
Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius,
Nec quae deletas potuit conponere Thebas,
Phryne tam multis facta beata viris.

Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,
Oscula nec desunt qui tibi iure ferant.

Me iuvenum pictae facies, me nomina laedunt,
Me tener in cunis et sine voce puer,
Me laedit, si multa tibi dedit oscula mater,
Me soror et cum quae dormit amica simul:
Omnia me laedunt: timidus sum (ignosce timori)
Et miser in tunica suspicor esse virum.

His olim, ut famast, vitiis ad proelia ventumst,
His Troiana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia iussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.

Cur exempla petam Graium? tu criminis auctor,
Nutritus durae, Romule, lacte lupae:
Tu rapere intactas docuisti inpune Sabinas:
Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.

Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae quidlibet esse licet?
Si non immerito velavit aranea fanum
Et mala desertos occupat herba deos?

Quae manus obscaenas depinxit prima tabellas
Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos
Nequitiaeque suae noluit esse rudes.

A gemat, in terris ista qui protulit arte
Iurgia sub tacita condita laetitia.
Non istis olim variabant tecta figuris:
Tum paries nullo crimine pictus erat.

Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
Quae numquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitae tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

23 Felix Admeti coniunx et lectus Vlixis,
24 Et quaecumque viri femina limen amat.
41 Nos uxor numquam, numquam diducet amica:
42. Semper amica mihi, semper et uxor eris.

II. DE ELEGIIS II, 1. et II, 4.

Versus II, 1, 17.—38. non genuinos esse contendit Heimreichius quaest. Prop. pag. 36. sq. laudatus a Caruttio in editione pag. 59. ita ut initium carminis ad lectores in universum versu primo significatos scriptum fuisse videatur; versus autem 57.—78., quos poeta plane Maecenati dedicaverit, secernendos esse dicit Heimreichius ab eis, quae antecedant, novum et rotundum carmen efficientes, primam autem libri secundi elegiam finiri versu 56. Quod judicium Heimreichii ut apte examinetur, videamus quod sit totius carminis argumentum: Neque Calliopen neque Apollinem carmina sibi dictare Propertius libere profitetur, sed ingenium solam esse Cynthiam et, si quidem mollis in ora veniat liber elegiarum, caussam esse illius formositatem neque se ad grandia carmina componenda sed ad solas elegias fidibus canendas aptum esse duroque versui epico non convenire praecordia Callimachi Romani. Cum his omnibus ita a poeta prolatis, ut cum gaudio et nobili quadam superbia loquatur, ea, quae versu 57. incipiunt, contendit Heimreichius ita non congruere ut non ejusdem hominis gloriantis sed lamentantis et paene lacrimantis esse et ab eis, quae praecedunt, secernenda videantur. Sed jocari poetam epicae poeseos pondus repudiantem cum ex toto carminis tenore tum ex versu 76.

esseda caelatis siste Britanne iugis

elucet. Initio elegiae paullo graviorem in modum profitetur se solo amore ad carmina condenda incendi. Excusat se, quod epica carmina omnino non faceret. Inserit se, si faceret, Augustum potius quam praeteriti temporis viros can-

turum fuisse. Redit v. 39. ad ea, a quibus inceperat ita tamen ut jocose v. 49. 50. epica carmina ne concedere quidem sibi Cynthiam innuat. Postrema sententia ea est amorem morbum fortasse esse sed insanabilem; durum eum esse ad mortem: conducit igitur carmen fictae suae mortis descriptione satis faceta.

Jam de prioris elegiae statu maxime corrupto conjecturam proponit audacissimam, quam quibus argumentis sustentaverit videamus. In versibus 17.—38. miras inesse erga Maecenatem blanditias satisque frigidam monet esse adulationem. Elegantiora vero concedo verba potuisse Propertium scribere. Sed ex his nullo modo efficitur, ut omnes hi versus spurii habendi sint. Deinde quae post versum 38. legamus non quadrare dicit cum eis, quae antecedant. Hoc de argumento quantopere mirer, dicere vix possum. Audiantur autem verba ipsius: „nam qui modo canturum se fuisse contenderat, si posset in arma ducere heroas manus, res ab Augusto gestas, idem mox versu 42. non convenire profitetur praecordia

Caesaris in Phrygios condere nomen avos.

Hic igitur alias res dignas quae canantur ita affert, ut prorsus oblitus esse videatur modo se egisse de rebus ab ipso Augusto gestis.“ Sententiam poetae non est assecutus. Nam inter alias has res et Augusti laudem id intercedit similitudinis, ut remotae sint utraeque a poesi amatoria. Aliam autem materiam atque elegiacam non convenire Propertio hoc ipsum illud est, quod demonstraturus erat.

Jam vero Heimreichius in eo haesit, quod poeta primo versu non ad Maecenatem sed ad omnes lectores se convertit. Sed jam antequam dissertationem illam Bonnensem ille scripsit, Hertzbergius Q. P. pag. 115. sq. de verbi personarum mutatione agens firmavit hoc ne minimae quidem nobis offensioni esse debere.

Id quoque nullius momenti est, quod Heimreichius monet poetam ita alloqui Maecenatem quasi in intimam ejus familiaritatem receptus sit, contra II, 1, 73. et IV, 9, 1. summa

cum reverentia de eo verba componere. Quin etiam, si de amicitia Augusti et Maecenatis hoc loco commemorata dubitantes illud „fidele caput“ corruptum esse suspicamur, ex hoc non efficitur totam horum versuum seriem cum Heimreichio esse eiciendam. Sed vix erit quo impediamur, quominus illud „fidele caput“ non ad amicitiam, quae Maecenati cum poeta fuit, sed ad eam referamus, qua Augustus et Maecenas junguntur.

Etiam de eo argumento, quod omnium gravissimum ille addit, quam maxime dubito poetam eversis focis antiquae gentis Etruscae id est bello Perusino commemorato non tam laudasse Augustum quam gloriam ejus diminuisse, quippe qui tanta crudelitate domuisset oppidum, ut maximum, quod illo tempore contra Octavianum erat, odium augeretur. Nam primum (cfr. Drumann, Gesch. Roms i. Uebg. zur Mon. I, 404 sq.) non memini apud ullum scriptorem me legere tantum illa obsidione exortum esse odium, ut poeta, cum eam commemoraret, gloriam imperatoris detractasse videretur. Namque non ipse Octavianus bellum inceperat, sed ejus hostes imprimis Fulvia et Lucius Antonius. De crudelitate autem Octaviani valde dubitari posse ex Suet. Oct. 75. apparet: „scribunt quidam,“ „exstiterunt qui traderent,“ cfr. Drumann pag. 412. Contra ducem rei militaris maxime peritum illo bello Octavianus sese praestitit. Itaque non puto in bello hoc loco commemorato esse haerendum et si quis novis veterum scriptorum testimoniis allatis cum Heimreichio faciet nil demonstrabit nisi versus 29. 30. spurios esse, non efficiet omnes illos versus 17.—38. e textu esse eiciendos.

Quae cum ita sint, pro certo habeo elegiam II, 1. scriptam esse ad Maecenatem.

Ex eis, quae exposui, etiam apparet non esse, cur cum Struvio (observtm. in Prop. spec. Altona 1804) versus 1.—16. ita ab elegia II, 1. secernamus, ut toti eos libro secundo praefationis loco praefixos esse statuamus.

Miror quod L. Müller de versibus difficillimis 37. 38. nil dicit. Nam ita ut eos dedit prorsus non video, quid sibi velint. Lacunam autem ante v. 37. latere Keilius obs. Prop. pag. 45. me judice egregie demonstravit. Nonnulla ut ad hujus disputationem addam, etiam id fieri potest, ut post versum 38. versus intercidisse dicamus, id quod dubitanter suspicatus est Vulpius. Ita melius locum expedimus quam si cum Burmanno eum transponimus post I, 19, 6., ubi non de virorum inter sese amicitia, sed de mulierum cum viris amore agitur, aut si cum Lachmanno pro „testatur“: „ceu fatur“ scribimus, aut si cum nonnullis spurios esse versus contendimus, cfr. Struve pag. 43., Heimreich pag. 46., Paldamus praef. ad pag. 37. aut si cum Barthio „qualiter“ supplemus. Nam loci ab hoc allati

qualem ministrum fulminis alitem v. 1.
. . . . . .
olim iuventas et patrius vigor
nido laborum propulit inscium
vernique . . . . . .
qualem laetis caprea pascuis v. 13.
intenta fulvae matris ab ubere
iam lacte depulsum leonem
dente novo peritura vidit;
videre Raetis bella sub Alpibus v. 17.
Drusum gerentem Vindelici.

Hor. carm. IV, 4.

Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat,
centum alii curva haec habitant ad litora volgo
infandi Cyclopes et altis montibus errant.

Verg. Aen. 3, 641.

aliter comparati sunt, nam ibi totae enuntiationes pronominibus comparantibus praecedunt. Aliquid vitii hic latere etiam Schneidewin concessit annal. vir. doct. Götting. 1846, II, 996.

Praeterea in elegia II, 1. nil est quod eiciatur vel mutetur. Nam quod Gruppe Minos pag. 512. sq. versus 5. 6.

spurios contendit et versus 15. 16. in dubium vocavit hoc nihil nisi summam, qua semper in carminibus Propertianis explicandis grassatus est, testatur audaciam.

In symbola philol. Bonn. II, 683. probata illa, quam in quaest. Prop. dederat, conjectura carmen II, 1. in duo esse dirimendum novam Heimreichius de altera quam statuit elegia II, 1 B. addidit. Versus enim II, 4, 17.—26. post II, 1, 70 inculcavit ita ut verba ita sese excipiant:

Omnes humanos sanat medicina dolores: I, 57.
solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,
Phoenicis Chiron lumina Phillyrides,
et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
restituit patriis Androgeona focis,
Mysus et Haemonia iuvenis qua cuspide volnus
senserat hac ipsa cuspide sensit opem. 1, 64.

Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus 1, 65.
Tantaleae poterit tradere poma manu:
dolia virgineis idem ille repleverit urnis
ne tenera assidua colla graventur aqua:
idem Caucasia solvet de rupe Promethei
bracchia et a medio pectore pellet avem: 1, 70.
non hic herba valet, non hic nocturna, Cytaeis, 4, 17.
non Perimedeae gramina cocta manus. 4, 18.

quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus 4, 19.
unde tamen veniant tot mala caeca viast.
non eget hic medicis, non lectis mollibus aeger,
huic nullum caeli tempus et aura nocet:
ambulat et subito mirantur funus amici:
sic est incautum, quidquid habetur amor.
nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
quae mea non deciens somnia versat anus? 4, 26.

quandocunque igitur vitam mea fata reposcent, 1, 71.
et breve in exiguo marmore nomen ero,
Maecenas, nostrae pars invidiosa iuventae,
Et vitae et morti gloria iusta meae,
Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda caelatis siste Britanna iugis,
Taliaque inlacrimans mutae iace verba favillae:
'Huic misero fatum dura puella fuit.'

Primum autem argumentum sumpsit Heimreichius e partium responsione, quam in carmine II, 1. abesse dicit. Primam enim stropham e quattuor constare distichis (57.—64.), e tribus alteram (65.—70.) tertiam rursus e quattuor distichis, hoc autem fieri non posse. Sed hoc argumentum prorsus nihil valet. Strophicam enim, quae vocatur, carminum responsionem quamquam verum est in libri primi omnibus elegiis locum habere videri, tamen in ceteris libris saepe quidem sed non in omnibus carminibus agnoscendam esse ex eis, quae adhuc hac de re disputata sunt,*) plane apparet. Ita in libris II. et III. sine ulla ejusmodi compositione condita sunt carmina in illo 1., 3.—9., 10. in hoc 23., 28., 32. Itaque neque cum Heimreichio versum intercalarem hunc

omnes namque hominum sanat medicina dolores
solus amor morbi non amat artificem.

post v. 70. inculcemus neque quidquam aliud quavis in elegiae parte excidisse statuamus necesse est.

Jam vero num alia in elegia quaedam legantur cum hac pugnantia cum II, 1. cohaerentia, Heimreichius perscrutatus hujusmodi esse contendit carmen II, 4., quod partibus contineri statuit tam diversis, ut non possint unius elegiae ne fragmenta quidem esse. Sed etiam hac de re longe aliter sentio. Nam ut sententiam suam firmaret, ille primum dicit deesse quaedam post v. 4. Vituperandum est, quod non exposuit, quid deesse videatur. Nam me judice omnia optime procedunt. Versibus enim 1.—4. normam quandam generalem poeta statuit, quam ut exemplo illustret, incipit de se ipso loqui. Disticho enim, quod sequitur, cultus elegantiam et mollem incessum Cynthiae se gratificatum esse Propertius significat scilicet ut his deliciis fastidium puellae vinceret, cfr. Hertzberg ad h. l. Sed frustra („nequiquam") haec erant. Nam tali in re non herba valet,

*) Müllenhoff annal. Kil. a. 1854. Prien Symmetrie u. Responsion der röm. Elegie 1867. Drenckhahn et in act. Berol. in usum gymn. ed. 1868. et in diariis Stendal. 1868.

amantes medicis non egent. Ita cum v. 5. 6. cum toto sententiarum nexu satis apte cohaerere videantur, non est cur nexum prorsus abesse Heimreichio concedamus.

Ut post v. 4. deesse quaedam contendit Heimreich post v. 16. Eadem iterum argumentandi levitas. Neque enim quid desit, exposuit ille. Propertius autem postquam de miseria hominum amantium egit, optime pergens sese sperare dicit hostes suos eodem modo ut ipse jam amoribus puellarum captus fuerit amorum doloribus cruciatum iri.

Itaque cum in elegia II, 1. et in carmine II, 4. omnia recte procedant, cum Heimreichio conjectandi occasio prorsus non est.

III. DE ELEGIA I, 8b.

Elegiae I, 8b. dispositionem male mihi videtur exposuisse Hertzberg q. Prop. pag. 82., quippe qui tam parvas in particulas easque permultas carmen dissecaret, ut quattuor partes singulis distichis contineri statueret. Neque quidquam mihi persuasit Prienius in libro qui inscribitur „Symmetrie und Responsion etc.“ pag. 41. prooemium et perorationem contendens binis distichis contra ipsam elegiam tribus distichis contineri. Aliter Müllenhoffius in ann. Kil. anno 1854. editis quattuor partes distinxit, quarum prima et secunda distichis $2+1$, tertia et quarta binis formatur distichis $(2+1, 2+1, 2, 2)$. Haec autem dividendi ratio propterea fortasse magis placet, quod versus 32. 38. 42. ad finem trium partium ponuntur similem repetentes sententiam. Sed etiam haec ratio recte stare non potest. Nam primum distichon 31. sq. ab eo, quod uno eodemque pronomine anaphorae ratione adsertum legitur, secernere vix aptum esse videtur. Sed accedit multo gravius argumentum. Nam quamquam L. Müller in praefatione editionis prorsus tacet de eis, quae de hujus elegiae fine disputavit Guil. Fischer de loc. quib. Prop. pag. 11. sq.; tamen quid huic recte opponi possit, non video. Optimo enim jure mihi videtur

versus 45. 46. post versum 36. posuisse. Nam ne cetera nunc repetam argumenta, in eo verum perspexit, quod versu 37. quisnam magna dederit majoraque pollicitus sit, plane intellegi posse negavit. Neminem enim in versibus, qui praecedunt, commemoratum invenimus, quem huc referre possimus, nisi forte ad nomen livoris (v. 29) longius remotum ac prorsus ineptum confugiamus. Accedit, quod versus 44. aptissime cum fine elegiae VIIIa. comparatur. Itaque ne fusius hac de re disseram, cum versus transponendi sint, neminem eorum, qui de dispositione hujus elegiae disputarunt, verum vidisse apparet. Quae cum ita sint, vide num hac mea ratione carmen dividere sit aptum.

Hic erit! hic iurata manet! rumpantur iniqui!	27	α
Vicimus: adsiduas non tulit illa preces.		duo
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor:		disticha
Destitit ire novas Cynthia nostra vias.	30	
Illi carus ego et per me carissima Roma	31	β
Dicitur, et sine me dulcia regna negat.		
Illa vel angusto mecum requiescere lecto		tria
Et quocumque modo maluit esse mea,		disticha
Quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,		
Et quas Elis opes ante pararat equis.	36	
Nec mihi rivalis certos subducit amores.	45	α′
Ista meam norit gloria canitiem.	46	duo
Quamvis magna daret, quamvis maiora daturus,	37	disticha
Non tamen illa meos fugit avara sinus.	38	
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,	39	β′
Sed potui blandi carminis obsequio.		
Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo,		tria
Quis ego fretus amo: Cynthia rara meast:		disticha.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:		
Sive dies seu nox venerit, illa meast.	44	

IV. DE LIBRI TERTII LACHMANNIANI ELEGIA PRIMA.

Elegiae IV, 8. versus 47.—68. („te duce — signa rotis") cum elegia III, 1. conjungendos esse contendit Heimreich q. Prop. pag. 22.—30. plaudentibus Lutjohanne comm. pag. 78. et Caruttio in editione pag. 104. Hanc conjecturam priusquam examinemus, praemittenda quaedam videntur de elegia III, 1. Jam in „sed" particula, quae initio primi versus legitur viri docti haeserunt. Qui cum ita carmen incipere posse negarent, mutarunt illud „sed' aut in „jam" aut in „sit"; Lachmannus autem versus quosdam antea excidisse statuit idemque postea fecerunt judicium Gruppe Röm. Eleg. pag. 275., Paldamus praef. edts. pag. 38., Drenckhahn stroph. Compos. etc. in diurnis Berol. 1868, pag. 184. Contra horum sententiam disputarunt Nobbe observ. Prop. spec. pag. 42. et Hertzberg comm. ad h. l. et quaest. Prop. pag. 130. Hic quidem rectissime docuit Propertianae elocutionis impetui esse accommodatissimum cum particula, cujus propria in continua oratione sit sedes ab initio collocetur ita ut quae antea tacite animo volverit poeta subito interrumpere et in medias quodammodo res lectorem ducere videatur. Tamen me judice haec regula non in omnes particulas eodem modo cadit, sed singulae sunt accurate discernendae. Legimus autem initio carminum particulas:

„igitur"	Prop. I. 8. „tune igitur demens."
„ergo"	Prop. III, 7. ergo sollicitae tu caussa etc.
	Prop. IV, 23. ergo tam doctae etc.
	Ovid. am. 2, 7. ergo sufficiam reus in nova crimina semper?
„et"	Prop. I, 17 et merito, quoniam etc.
	Prop. III, 27 et vos incertam etc.

Quod autem attulit exemplum ipsius „sed" particulae Hertzbergius Ter. Phorm. 5, 5, 5., non in initio dialogi illud „sed" exhibet. Accedit quod in hujus elegiae initio illud „sed" nimis solutum dicendi genus redolet. Multo vero melius „at" particula carmen inciperet, cfr.

Ovid. heroid. 12, 1. At tibi Colchorum memini regina vacavi.
amor. III 7, 1. at non formosa est, at non bene culta puella
at puto, non votis saepe petita meis.
Priap. 78, 1. at di deaeque dentibus tuis escam negent.

Itaque aut „at“ aut „est“ scribendum esse censeo cfr.
Prop. V, 7, 1. sunt aliquid Manes.
Ovid. trist. I, 70. est mihi sitque precor flavae tutela Minervae.
audiat. est quaedam nomine Dispas anus.

Aliam viam ingressus est Scaliger, quem secuti sunt Burmannus et Brouckhuisius. Magno scelere sese impiasse putavit eos, qui ultima carminis II, 9. duo disticha ita cum superioribus alienis conjunxerint ut carminis sequentis initium invenire coacti scripturam „sed“ in „jam“ mutaverint.

Haec Propertium dicere voluisse Scaliger arbitratus est: „Verum est me paratum nullum a capite meo deprecari periculum de amica mea. Sed ut addictus illi sim, quemadmodum antea fui, hoc vero quominus faciam, impedit me novum consilium a me initum alio me vocat institutum meum.“ Haec viro doctissimo „plena affectus amatorii nec nisi a politis ingeniis intellegenda“ videbatur esse amicae valedictio propter ingratum, quem in poetam habuit, animum et quae cum Catulli versu recte comparari possit

Vale puella jam Catullus obdurat.

Ad firmandam hanc sententiam memineris in codice Groningano verba illa „sed tempus . . .“ cum superioribus conjuncta esse. Sed primum tenendum est omnium optimum codicem Neapolitanum item ut Pucci excerpta et librum Hamburgensem interstitium illud servasse. Deinde satis mirum esset, si initio elegiae, qua Augusti laudes celebraturus erat, non ipsum principem sed puellam amatam poeta alloqueretur. Accedit audacissima pronominis „tua“ in elegia incipiente positio; cum quis tandem hoc pronomine intellegendus sit, nemo nisi qui omnes cognoverit Propertii amores, non tam perspicere possit quam suspicari. An quid illud „tua“ sibi velit, ex ipsa elegia elucet, in qua et ani-

mum viresque suas (v. 11.) et Augustum (v. 15.) poeta affatur? Jam Scaliger ut aliquo modo conjecturam suam fulciret verba: „scribant de te vel sis ignota licebit“ cum carminis decimi fine conjunxit; sed etiam his versibus nomen Cynthiae, ad quam tria haec disticha scripta esse videantur, tamen non plane dicitur.

Sed obstant multo graviora. Namque nullo modo codicum auctoritatem ita ut Scaliger fecit, neglegere licet. In omnibus enim codicibus sine ulla exceptione post v. 26. interstitium est, nonnulli libri manuscripti et vetustissimae editiones versus 27.—33. constituunt separatum carmen, cui titulus „ad Cynthiam“ tribuitur. Atque in hac re certe acquiescendum est, nisi forte cum Lachmanno aliisque viris doctis suspicemur initio elegiae XI. i. e. ante verba „scribant de te“ versus quosdam excidisse.

Jam ex eis quae attuli apparet ex eorum versuum numero, quos codices exhibent, viginti sex elegiae decimae esse tribuendos.

His praemissis transeamus ad conjecturam, quam Heimreichius proposuit ita cum elegia III, 1. versus IV, 8. 47. sqq. conjungendos esse statuens ut ejectis versibus III, 1, 7. 8. hoc modo sese verba excipiant:

Vt caput in magnis ubi non est tangere signis, III 1, 21.
Ponitur hic imos ante corona pedes,
Sic nos nunc, inopes laudis conscendere culmen,
Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etenim Ascraeos norunt mea carmina fontes
Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis, III, 1 sqq.
Et campum Emathio iam dare tempus equo.
Iam libet et fortes memorare ad proelia turmas
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis et voluisse sat est.

Nunc volo subducto gravior procedere voltu, III 1, 9 sqq.
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.

Surge, anima, ex humili iam carmine, sumite vires,
Pierides: magni nunc erit oris opus.
Iam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum et Crassos se tenuisse dolet:

India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho, III 1, 16 sqq.
Et domus intactae te tremit Arabiae:
Et siqua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra sequar: vates tua castra canendo
Magnus ero: servent hunc mihi fata diem!

Te duce vel Iovis arma canam caeloque minantem IV 8, 47 sqq.
Coeum et Phlegraeis Oromedonta iugis,
Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar et caeso moenia firma Remo,
Eductosque pares silvestri ex ubere reges,
Crescet et ingenium sub tua iussa meum,

Prosequar et currus utroque ab litore ovantes, IV 8, 53 sqq.
Parthorum astutae tela remissa fugae,
Castraque Pelusi Romano subruta ferro,
Antonique graves in sua fata manus
Mollis tu coeptae fautor cape lora iuventae,
Dexteraque inmissis da mihi signa rotis.

Hanc conjecturam, quam magno ingenii acumine excogitatam esse ipse ego haud negaverim, tantopere Carutti pag. 104. probavit, ut non solum omnibus se Heimreichii argumentis victum esse professus sit, sed etiam carmen, quod supra descripsimus, Heimreichianum idque a parte quadam, de qua infra dicetur, mutatum ut vere Propertianum ediderit. Contra ipse ego longe aliter sentio. Nam in elegia IV, 8 ne unum quidem versum censeo tantopere cum totius elegiae consilio pugnare, ut cum alius carminis versibus a Propertio conjunctus esse videatur. Hoc enim carmine poeta se ipse accusat, quod Maecenate invito numquam ab elegiis componendis desistat neque umquam res ab Augusto gestas celebrare conatus sit. Elegantissima vero ratione ita hoc Propertius instituit ut ipsius Maecenatis exemplum sese esse secutum profiteatur. Ut enim hic, cui

medio ponere foro jura vel Medorum pugnaces ire per hastas atque domum fixa per arma ornare liceat in tenues umbras se humilem colligat atque ipse velorum plenos sinus subtrahat (v. 22. sq.), eodem modo se ipsum, quippe cujus rati grandia vela non apta sint, velifera carina tumidum mare findere nolle neque umquam epica carmina sese compositurum. Itaque ut ait v. 43. sq.

inter Callimachi sat erit placuisse libellos
et cecinisse modis Coe poeta tuis.

et c. vers. 45. 46. 59. 60. Nam versus 59. sq. recte post v. 46. posuit Lachmannus. Haec omnia faciunt rotundum carmen. Jam vide, quae sequantur.

te duce vel Iovis arma canam coeloque minantem
Coeum et Phlegraeos Oromedonta iugis sqq.

Propertius igitur, qui ad solam elegiacam poesin indolem sibi paratam esse exposuerat, subito elato animo jamjam Maecenate duce (v. 47.) epica se facturum esse carmina promittit. Verba autem „te duce“ duabus rationibus explicantur: aut significant, id quod Lachmannus voluit „quod si tu jubeas“ — cui interpretationi officit totius elegiae argumentum, quippe qua recuset poeta, quae petiverat ab eo Maecenas — aut, quae erat Hertzbergii sententia, significant „si factorum exempla Maecenas praeivisset.“ Hanc contra interpretationem Heimreichius monuit Propertium hanc laudationem satis frigidam hoc modo literis fuisse mandaturum „te duce . . . canerem.“ Sed tali fastidio premere rationes philosophi nescio cujus morosi logicas non est poetae vel ea, quae numquam futura esse credit tamquam certa proponentis, dummodo ex totius carminis tenore appareat, quid re vera velit, quid ponat tantum.

Neque gravius argumentum sumpsit Heimreichius ex versu IV, 8, 52. quippe ex quo nullo modo appareat versus de quibus agimus ad carmen quoddam pertinere, in quo Augusto poeta promiserit bella se et arma esse canturum. Nam etiam de Maecenate viro imperatori amicissimo atque

a poeta summa veneratione celebrato cogitari posse recte perspexit Hertzbergius.

Sed jam concedamus re vera illa sex disticha ad Augustum scripta esse atque reliquorum argumentorum, quae attulit Heimreichius, vim accurate examinemus. Id vero recte monuit ex magno elegiarum Propertianarum numero unam esse ad Augustum missam*). Uno autem illo carmine III, 1 poeta promittit nunc, cum tempus sit aliis Helicona choreis lustrare, se dicturum esse Romana sui ducis castra eaque secuturum ad ultimos Indos (v. 1.—20.). Jam quae tria disticha secuntur, hoc loco posita pugnare cum nexu sententiarum intellegere sibi visus est Heimreichius. Nam ut ipsius verbis utar „qui per totum carmen nil nisi nunc se heroica carmina compositurum esse magno ore clamaverat idem subito inops est laudis conscendere carmen et canere res gestas.“ Neque vero erit qui hanc difficultatem tollat versuum 21 sq. hac interpretatione: tanta nunc est gloria imperatoris ut verbis satis celebrari vix possit. Nam vide, quanto ore quantis ambagibus canturum se esse res ab Augusto gestas versibus, qui antecedunt, exposuerit. Mihi quidem haec sex disticha legenti quibus finitur elegia impetu poetico summo plena illud Horatii in mentem venit:

parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Itaque mihi persuasum est rectissime L. Müllerum post versum 20. asteriscorum signum posuisse atque caute in eo egisse, quod v. 21.—26. non in prooemio sed in eo, quem

*) Neque hoc refellitur eis, quae Gruppe R. El. I, 318 sqq. recte exposuit, aliis quoque elegiis res ad Augustum spactantes exponi cfr. imprimis IV, 3. „arma deus Caesar“ et V, 6. „sacra facit vates“ etc. Nam in his omnibus quinque elegiis poeta Augustum non ita alloquitur ut ad ipsum principem elegiam misisse videatur. Tamen in eo prorsus erravit Gruppe, quod ex rebus ad eundem Augustum spectantibus colligi posse arbitratus est quinque has elegias ab ipso Propertio una editas esse In tota hac conjectura proponenda cum elegias in codicibus ita ut sortes in sitella transponi posse sibi persuaserit ad quantam audaciam pervenerit, dici vix potest.

codices servarunt, loco posuit. Haec enim ratio praesertim eam ob caussam aptissima est, quod totus liber II. quam maxime corruptus atque laceratus est hujusque libri tum aliae de quibus potest dubitari tum hae latent lacunae: postv. 7, 12; 8, 12. 14. 16. 20. 24; 9, 40. Qua autem ratione Heimreichius lacunam, quam statuendam esse concessimus, impleverit, jam supra indicavimus.

Ac jam concedamus, id quod supra prorsus negavimus, IV 8, 47. sq. loco quem codices indicant recte non legi; duo, de quibus Heimreichii conjecturam ferri non posse demonstratur, in promptu habeo argumenta. Nullo enim modo concedi potest poetam, postquam tanto ore jam nunc Augusti triumphos se celebraturum hoc autem carmine ipsum magnum futurum esse praedicavit, subito ad res, inter quas et Augustum nihil intercedat similitudinis, orationem deflectere ut ad Jovis arma, Palatia, moenia Remi, reges. Hoc jam Eschenburgius in libro misc. Bonn. pag. 95. bene sensit, quamquam non satis distincte exposuit. Ac licet Lutjohannes comm. Prop. pag. 78. ad „vel" particulam recte digitum intenderit, qua aliquo modo cum III, 1 versus IV, 8, 47. sq. consarcinari posse concedo; tamen versus IV, 8, 47. sq. tantopere cum eis, quae in panegyrico illo III, 1 usque ad versum 20. ad Augustum laudandum cecinit Propertius, non congruere videntur, ut de conjectura eos inferre in elegiam III, 1 me judice nullo modo liceat. Versus igitur IV 8, 47. sq., quos sat bene loco quem codices tradunt legi supra monuimus ita cum III, 1. Heimreichius conjunxit, ut ne sat quidem aptum et qualis exspectetur elegiae finem confecerit.

Sed accedit alterum argumentum. Rotundum enim et quod ipsum pro se clamet carmen ut efficiat, versus III 1, 7. 8. interpolatos esse Heimreichius contendit pag. 29. Sed hoc mihi nullo modo persuasit. Nam primum argumentum quod attulit versus 7. 8. laedere structuram carminis, quippe quam ipsam conjectando dederit, nihil valere vix est quod moneam. Non autem quadrare illud distichon cum sen-

tentiarum nexu neque Heimreichius ullo fulsit argumento neque ego possum intellegere. Denique in plurali numero Venerum numquam a Propertio posito haesit, non tamen quidquam hoc argumento effecit. Venerum enim num. plur. pro amoribus usurpatum quamquam verum est apud Propertium non legi neque id quod comparatis omnibus exemplis nunc addo apud Tibullum; tamen hoc cum usu ac consuetudine loquendi nullo modo pugnare non solum quod a Catullo dictum est docet „Veneres cupidinesque“ (3, 1) [cfr. Veneri cupidinique 36, 3], sed etiam ejusdem poetae locus 86, 6 „omnes Veneres“ tam dilucide demonstrat, ut in oculos incurrat. cfr. Plaut. Stich. 2, 1, 5 „amoenitates omnium venerum atque venustatum affero.“ Lucr. 4, 1179 „nec Veneres hoc fefellit.“ Quint. X, 1, 79 „Isocrates omnes dicendi veneres sectatus est.“ Quae cum ita sint, ex eis quidem argumentis, quibus usus est Heimreichius versus III 1, 7. 8. a Propertio abjudicandos esse prorsus non evincitur.

Sed fortasse mihi objecerit quispiam Heimreichii conjecturam defendere conatus aliud argumentum, quo Caruttium usum esse video. Hoc tamen mihi obici non posse nunc additurus sum. Nullo enim modo fieri posse fortasse dixerit quispiam, ut aetatem suam, qua tumultus et bella sese canturum esse promittat, Propertius appellet extremam. Annum enim, quo poeta primam diei lucem viderit, ita diversum viri docti definierunt ut intra urbis (Varronis ex computatione) 697. et 707. quasi vagi errarent. Nostra autem aetate qui postremi hanc quaestionem tractarunt, argumentis omnibus collatis eo pervenerunt, ut solis de annis 708. et 707., cogitari posse putarent. (Lachmann praef. XXV. Hertzberg Q. P. 15. sq. Lütjohann comm. Prop. 76. sq. similique ratione judicavit Keil in diurn. antiq. 1835. pag. 523., qui annum 709. addidit.) Elegiam autem III, 1 compositam esse existimanti anno 729. Hertzbergio (Q. P. 16, 217) satis jam respondit Eschenburgius (lib. misc. Bonn 94. sq.) fine anni 731. vel initio 732. scriptam eam esse.

Deinde Lütjohannes extra dubitationis aleam posuisse videtur comm. pag. 79. sq. progrediendum esse usque ad anni 732. finem. Jam vides poetam cum carmen composuerit annos 21 vel 20 (vel 20 Keil.) natum fuisse neque talibus verbis uti potuisse quibus significaret extrema aetate, cum jam tempus sit, tumultus se esse canturum.

Hisque fortasse addiderit quispiam Propertium si jam multos annos se natum esse voce illa „extrema“*) significare voluerit, non de prima aetate quasi nunc sibi exstante dicere potuisse sed tale quid debuisse scribere: prima aetas cecinit Veneres, extrema canat tumultus.

Haec omnia quamquam recte potest quispiam**) monere tamen ad versus 7. 8. a Propertio abjudicandos nil valent. Nam nihil nos impedit, quominus versu 7. legem, quae ad omnes poetas spectet, generalem describi contra versu 8. ea addi statuamus, quae, ut suam ipsius carmina pangendi rationem commendet, ex lege illa Propertius deducat idque ita ut vocis „extrema“ notionem jam non premat. Quin etiam hanc interpretationem unicam esse veram ex eis, quae exposuimus, apparet. Itaque cum versus 7. 8. sine justa caussa ab Heimreichio ejectos esse liqueat, non solum finem elegiae ab illo de conjectura datum non satis

*) quid e Gruppii conjectura prorsus supervacanea pro „extrema“ scribi jubentis „postrema“ R. El. I 181 sq. ad hunc locum explicandum eliciemus lucis, ego non video.

**) Talia Caruttio in mente haerebant haec dicenti de versibus 7. 8. „insulsa verba et interpolata; id enim significant: juvenis cantavi puellam, senes canam bella et tumultus. At senem se vocat interpolator; Propertius contra „coepta juventute“ florebat versu 25. Versum enim quem in codicibus legimus in carmine IV. 8 (v. 57 apud Müllerum) carminis cujusdam quod ipse sibi finxit voluit esse versum 25. Elegiam enim hanc ad Augustum scriptam voluit contineri versibus in hunc ordinem redactis: III 1, 1—4, 21—26, 9—12, 5, 6, 13—20, IV 8, 57 (et „mollis“ scriptura sine ulla caussa temere in „mollia“ mutata), 58, 53—56, 47—52. Ita Heimreichii audacia multo superata virum doctum ejusmodi conjecturam proponere audere satis est quod mireris. Haec sane „insulsa“ sunt, non versus Propertii ut Carutti dicit III 1, 7. 8.

placere mihi videor demonstrasse; sed etiam illam compositionis elegantiam prorsus abesse, ex qua sex particulas, quarum singulae sex versibus continentur, totam elegiam formare voluit.

V. DE VERSIBUS V 1, 33. –56.

L. Müller de his versibus optime meritus tamen non omnia ita ut dubitandi locus non relinquatur et quaedam ne recte quidem mihi exposuisse videtur. Quod ut recte intellegatur primum cujus rei caussa versu 57. a Müllero optime ita descripto praef. XLI.

munere namque pio conor disponere versus

explicetur, quaerendum est. Ordinem autem versuum, qui in codicibus legitur, si sequimur, non sine certo consilio deorum scilicet Iovis et lupae Martiae auxilium sese premere versu allato poeta exponit; velle enim („namque") sese indicat pio munere versus disponere sacra diesque sese canturum (v. 69). Jam id monere licet etiam versibus 55. sq. ejectis auxilium divinum scilicet Jovis principis omnium deorum disticho, quod statim sequitur, eadem ratione optima premi. Ac de primis duobus distichis recte me judice L. Müller judicat; tamen de summis scrupulis, quibus alii commoti sunt, ut totum locum spurium haberent, non satis plane agit. cfr. Eschenburg obs. crit. in Prop. 43. sq. et Lütjohann comm. 26. sq. Possunt autem hi versus pro exemplo esse interpretandi rationis audaciae plenae, quae nunc multis placet. Nam non id, quod nunc multi faciunt, nobis agendum est, ut quasi furca versus expellamus, sed ut difficultates, quae occurrant, superemus. Itaque cum singula quaedam nova alluturi simus non inutile est quae viris doctis fuerint offensioni, breviter examinare. Ac versum 23. qui perlegerit, certe „parva minus urbe" conjungit. Tamen ita sententia sana non efficitur. Nam Passeratii explicatio recte stare nequit: Bovillae enim gen. sing. ex voce urbis

pendere voluit, quod jam eo reicitur, quod numquam Bovillarum urbs singulari numero usurpatur. Nam locus Frontini de coloniis pag. 103., quem solum Klotzius in lexico attulit, auctoritate prorsus caret. Hoc enim loco Bovilla non in omnibus membranis sed in aliis „Bobile“ legitur. Nec magis placet Hertzbergii ratio, qui „maximam turbam“ versus utriusque 33. 34. praedicatum esse arbitratus locum pedestri oratione usus ita circumscribit: „Bovillae quae nunc minus quam parva urbs i. e. ne parva quidem urbs nec nisi vicus suburbanus est, et Gabii, qui omnino nulli sunt, tunc maxima turba fuerunt.“ Haec enim non solum ob eam caussam probari non possunt, quod, si quis vocis „suburbanae“ notionem animo volverit, de Roma cogitat, deinde eadem urbis voce non κατ' ἐξοχήν Roma sed oppidum quodlibet significatur, sed etiam propterea quod, cum versibus, qui praecedunt de nullo tempore nisi de praeterito verba facta sint, in versu 33. ex eis, quae secuntur, praesentis notio haud eleganti ratione praesumitur. Etiam altera interpretatio quam addit Hertzbergius probari nequit, qua ita struuntur verba: Bovillae nunc aucta Roma (parva minus Urbe) vicus suburbanus et veluti ipsius urbis particula annexa tunc maxima turba fuit. Nam primum „parva minus“ pro „majore“ sive „aucta“ ab optimo scriptore qualis est Propertius unquam usurpatum esse prorsus nego. Accedit, quod ad ea, quae de Bovillis dicuntur, ex eis, quae postea legimus, particula „nunc“ male suppletur. Quae cum ita sint, conjecturas proposuerunt. Et Passeratius quidem alteram ad eam, de qua jam dictum est, rationem addens scribi jussit „parvae minus“. Ac primum notatu dignum illud „parvae“ meram esse conjecturam neque auctoritate niti codicum. Nam quamquam Burmannus „parvae minus“ in libris quibusdam manuscriptis legi docet tamen neque accurate eos significat et in codicibus melioribus omnibus „parva minus“ exaratum legitur. Haec autem Passeratii conjectura propterea magis placet, quod „parvae minus“ pro „majores“ Propertium dicere potuisse negandum est.

Multo magis arridet, quod Lachmannus subtili usus judicio protulit: „parva eminus“ Tamen ne hoc quidem propter normas quasdam, quas secutus est Propertius, metricas ferri potest. Eschenburgius enim obs. crit. pag. 1.—13. et comm. Prop. in libro misc. Bonn. bene exposuit elegias, quas nunc vocant Romanas, libri quinti I. II. IV. VI. IX. X. ad multo severiores leges metricas adstrictas esse quam ceteros libros neque ullum in illis synizeseos exemplum inveniri, quale Lachmannus, cum illud „parva eminus“ conjecit, in textum genuinum inculcavit cfr. etiam Haupt obs. crit. 1841 pag. 21.

Conjectura autem „metus“ pro „minus“, quam Burmannus commemorat, probata quamquam versus 33. bonum sensum exhibet, tamen ceteri versus aeque bene explicari non possunt. Tum enim versibus 33.—36. subito de itinere verba fierent. Et si quis in hunc versum potentiae notionem ita inferre conatus sit, ut pro pessima codicum scriptura „hac ubi Fidenas“ altero hujus urbis nomine usus (cfr. Plin. H. N. 16, 4, 5. Sil. 15, 90) coniceret „magnam ibi Fidenam“ scriptura quae tradita est valde mutata; tamen longitudinis notionem tollere vix poterit.

Itaque nil relicum nisi „suburbanae minus“ conjungere et totum versum ita ut Müller fecit praef. XL. explicare. „Gabii“ autem v. 36. ratione a Propertio alibi non usurpata contrahitur. Tamen similes nom. plur. — nam de his solis agitur — rarissime etiam apud alios poetas leguntur cfr. Corssenum über Ausspr. Voc. etc. II, 163. Nevium Formenl. I, 98, 122. Utile autem est digitum intendere ad inscriptionem quandam, quae omnes interpretes adhuc fugit, a Visconti editam in libro, qui inscribitur „monumenti Gabini della villa Pinciana Roma 1797“ pag. 146, ubi ipsius Gabiorum urbis si non nominativus certe legitur ablativus GABIS.

Etiam cetera argumenta, quibus quattuor hos versus eiciendos esse demonstrare volebant, manca sunt atque futilia. Nam justa caussa non est, cur in verbis „Fidenas

vias", quae in codicibus exstant, ita conjunctis haereamus, ut „Fidenas" adjectiva ratione usurpetur cfr. Prop. I, 11, 30. „A pereant Baiae crimen amoris aquae" Prop. III, 29, 4 „Danai femina turba senis" et Lachmanni adnotatio.

Neque ullo modo concedo necesse fuisse certa significatione ut copula verbi quod dicitur substantivi vel aliter definiatur „parva minus" et „maxima turba" ad praeteritum tempus spectare cfr. Eschenburg pag. 26. Nam non de aetate futura vel Propertii agi nemo non videt, qui versus qui praecedunt vel leviter perlegerit; accedit quod in versu 33. cum dixerit poeta „parva urbe" pristinae aetatis significationem satis planam habemus; non igitur mirandum, quod verbum hoc loco substantivum Propertius omisit, apud quem brevitatem et compendia dicendi frequentiora esse quam in ullo alio poetarum Romanorum recte monuit Hertzbèrg Q. P. pag. 134.

Codicum scriptura „longe erat" cum ferri nequeat, cfr. Eschenburg l. c. et Müller praef. p. L., probanda est conjectura, quam in Pucci excerptis legimus „longa via". Nam hoc de conjectura datum esse intellegitur ex eis, quae disputarunt Lachmann praef. XII., Haupt ind. lect. Berol. 1854/55 pag. 1. sq. Schneidewin in act. Gött. 1844 II, 730.

Krahneri autem interpretatio (Philol. XXVII pag. 72) scripturae traditae quam maxime mira est neque ullo modo probari potest, nisi concedis vocem viae significare iter, quod per agros est, non per Urbem. Quod si statuis, Propertius fortasse dicere voluit antiquissima aetate eis, qui irent Alba Fidenas, primum longissimum iter faciendum fuisse per agros, deinde parvum per Urbem, postremo iterum longissimum per agros; contra cum aucta sit Roma, viam illam longissimam agrariam quam maxime fuisse diminutam, iter autem quod fuerit per ipsam Urbem satis evenisse longum. Sed „viae" vocabulum prorsus nihil significat nisi totum iter, quod Fidenas Alba erat et per agros et per urbem Romam.

Conjecturam autem quandam, quam olim excogitavit Frid. Ritschelius cfr. Eschenburg obs. pag. 28., virum hunc inlustrissimum nuper missam facere et in ceteris L. Müllerum secutum novum quoddam commentum multo fortius quam quod L. Müller proposuit ob eamque caussam in totum harum sententiarum nexum multo magis quadrans mecum communicare memini cum scriberet: „tunc ubi“ pro „hac ubi“. Transpositionem autem versuum Müllerianam propter locorum in eis commemoratorum situm prorsus necessariam a Voigtio „de quarto Propertii libro“ pag. 33. nullo modo rejectam esse jam alii rectissime adnotarunt vide Zarnckii diurna quae Centralblatt inscribuntur ann. 1872. pag. 774. et indic. philol. anni 1873. fasc. VII. pag. 358.

Vindicandos igitur Propertio versus quattuor de quibus disputatum est cum viderimus, quaeritur de sententiarum nexu, quo cum eis, quae antecedunt, conjuncti sunt. Vituperandus autem est Volzius, quod, cum recentissima aetate publici juris fecit eclogen carminum elegiacorum „Römische Elegie“ inscriptam, lacunam, quam L. Müller statuerat, omisit pag. 116. Nam quamquam latet cur hic versus quosdam excidisse putaverit, tamen videntur verba, quorum caussa particula „quippe“ additur, temporum injuria deleta esse talia: „nec facilis pristina illa aetate militibus qui usta proelia nuda sude miscebant erat victoriam reportare.“ Nam quod contenderunt Forcellini lex. III, 656. et accuratius K. O. Müller in adnotationibus ad Festi editionem adjectis pag. 399. illud „quippe“ proprie esse re vera mirantis, qui res aliter esse possit, et comparandum cum Graeco πῶς οὐ ita ut affirmativa ratione similiter atque „certe“ usurpetur, non verum est. cfr. Ribbeck „Beiträge zu den lat. Partikeln“ pag. 17. sq. cfr. etiam Lütjohann comm. pag. 44.

Jam vero versus 39.—54. a Propertio abjudicat Lütjohann pag. 26. sq. Ac primum haesit in voce „melius,“ cum, quae urbs comparetur, non pateat, contra si cum toto orbe terrarum Romam conferri credas, „optime“ exspectandum est.

Quod si ita se haberet, scribere liceret quod amicus conjecit „velis profugos," cfr. Cic. Tusc. 3, 11, 25 „remis velisque fugere" auct. bell. Alex. 46 „velis profugere." Tamen non video, quare impediamur quominus Romam cum qualibet alia urbe comparatam esse putemus, quo minus apte Trojanos penates sese collaturos fuisse Propertius indicat.*)

Pronomen autem „huc," in quo haeserunt, v. 39. item ut „hoc" v. 1., „hinc" v. 31. 32. δεικτικῶς ad Romam spectat.

Deinde Lütjohannes non intellexit, quo consilio poeta id secutus, ut e parvulis initiis aedificia et sacra Romana magnificentissime aucta esse ostendat, Troiam penates in Italiam transmisisse dicat. Nam quid in Krahneri interpretatione (c. p. 62) tantopere displiceat, ego non intellego. Is enim magnitudinem, qua Roma Propertii aetate florebat, deduci censet ex insita priscis Romanis morum simplicitate sed conjuncta illa cum faventibus penatibus Trojanis Juliorumque numine propitio; eundem autem recte fecisse hoc judicium eo magis mihi persuasum est, quo minus de versibus 33. sqq. vere Propertianis dubium esse posse ex eis, quae supra exposui, apparet. Quod autem dicit Lütjohannes ex eo, quod v. 7.—32. templa institutaque parca quae antea erant et eadem magnificentissima, quibus nunc Roma ornata est, constanter inter sese opponuntur, argumentum sumendum esse, quo eiciendos esse versus 39.—54. demonstratur; haec quam sit manca ratiocinatio, nemo est quin videat. Tamen latet in ea aliquid, quod quasi per nebulas Lütjohannes perpexisse videtur, veri. Mira profecto ratione lupa Martia, quam sanguinis altricem fuisse Romano alumno jam v. 38. expositum est, postquam de Trojanis penatibus verba fiunt, iterum commemoratur. Nam tantum abest, ut summam hac in re elegantiam cerni Krahnero concedam, ut versus 55. sq. post v. 38. removendos esse L. Langium praeceptorem optime de me meritum secutus censeam. Ipse

*) Aliter hoc „melius" explicat Voigt pag. 43.

enim Krahnerus ad v. 38. concessit numquam cum diis externis sed semper cum indegetibus conjunctam esse lupam Martiam. Accedit, quod in rerum vetustissimarum Romanarum descriptione (v. 1.—38. quibus prior hujus prooemii pars continetur) nemo deorum commemoratur nisi qui inde ab antiquissima aetate a Romanis colebantur ut Lupercus v. 26, Euander id est Faunus v. 4, cfr. Parilia v. 19. Vide quae de descriptione hujus carminis Krahner exposuit. Priore igitur loco e simplicitate Romanorum diis adjuvantibus vetustissimis splendor Romae evenisse dicitur v. 1.—38., posteriore v. 39.—54. novum argumentum de externis Trojanorum diis desumptum additur. Age vero, quomodo ut alterius hujus partis summam exponat, potest relabi poeta ad lupam Martiam, qua ex ipsa Romanorum religione et indole opes Romanas adauctas esse dicit? Saepe vero versus in carminibus Propertianis a librariis falso loco positos esse vix erit qui neget et hoc ipso in carmine versus 87. 88. rectissime Müller revocat ante v. 53. Jam vide totum locum qualis ex mea sententia ab ipso Propertio compositus esse videatur.

Hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni, 31
Quattuor hinc albos Romulus egit equos. 32
* * *
Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae 33
Tunc ubi Fidenas longa erat isse via. 36
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata, 35
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi. 34
Nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus: 37
Sanguinis altricem non pudet esse lupam. 38
Optima nutricum nostris lupa Martia rebus, 55
Qualia creverunt moenia lacte tuo! 56
Huc melius profugos misisti, Troia, penates. 39
En quali vectast Dardana puppis ave! 40
Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Laeserat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in nati trepidus cervice pependit,
Et veritast umeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Deci Brutique secures, 45
Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus,

Arma resurgentis portans victricia Troiae:
Felix terra tuos cepit, Jule, deos!
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
Dixit Aventino rura pianda Remo,
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput:
'Dicam: Troia cades, et Troica Roma resurges,
Et maris et terrae longa sepulchra canam.
Vertite equum, Danai! male vincitis: Ilia tellus
Vivet, et huic cineri Iuppiter arma dabit.'

VI. DE VERSIBUS I, 18, 21. 22.

Distichon I, 18, 21 sq.

A quotiens teneras resonant mea verba sub umbras
scribitur et vestris Cynthia corticibus

ab interpolatore quodam fictum esse contendit Prienius Symmetrie et Responsion pag. 51. Quod sine justa caussa factum esse nunc ostendam.

Primum autem argumentum petivit ille ex eo, quod cum eis, quae interrogaverat antea poeta „an nova" v. 10. et poeta interrogat „an tua" etc. (nam necessitatem illud „an" in „en" mutandi non video) singulis distichis respondeatur fieri non possit ut interroganti poetae „an quia parva" etc. distichis respondeatur duobus. Quasi vero poeta in tantis versuum numerandorum angustiis versaretur, ut si antea uno respondisset disticho iterum sibi interroganti uno deberet disticho respondere neque umquam audere posset alterum addere, quo prius paullo uberius explicaretur. Neque quae in versu 22. leguntur „scribitur in corticibus" repugnant eis quae cecinerat poeta in versu 78. „clamat in *ore* fides?" Haec enim eo consilio interrogaverat poeta ut, quam parum de amore, quo ipse erga Cynthiam inflammatus est, jure puella amata dubitare posset appareret. Amari autem a poeta Cynthiam optime testantur arbores, quippe quarum in corticibus saepissime Cynthiae

nomen a poeta inscriptum legatur. Itaque cur illud distichon a Propertio abjudicemus non perspicio.

VII. DE FIDE CODICUM PROPERTIANORUM NEAPOLITANI ET GRONINGANI.

De codicibus Propertianis quamquam multi viri docti multa jam disputarunt, tamen, quid de fide eorum et origine statuendum sit, ne nunc quidem extra dubitationis aleam positum est.*) Heimreichius autem tantum abest ut aliquam codici Groningano concedat auctoritatem, ut ubicumque in codice Neapolitano vel dimidiae versuum partes vel toti versus desint legantur in Groningano ibi in hoc agnoscendam esse manum interpolatricem ostendere studeat, eas autem lectiones, quibus Keilius probari existimaverit libri Groningani, quae ad stipem spectat, praestantiam, meras esse conjecturas virorum emendantium contendat. Quam normam nec Eschenburgio**) nec L. Müllero***) prorsus persuasit. Nec recte judicasse Heimreichium ut demonstraret contigit Grummio, cujus de codicibus Neapolitano et Groningano quaestiones ne commemoratas quidem a L. Müllero praef. v. 6. sqq. maxime miror. Is enim lectionum omnium discrepantiis quae in Neapolitano et Groningano inveniuntur collectis et in ordinem redactis eo pervenit, ut non majorem alteri horum codicum sed soli codici Neapolitano tribuendam esse auctoritatem statueret. Tamen de hac re prorsus aliter sentio. Eodem enim anno Grummium de eadem re inquirere ut videtur ignorans Lütjohann. comm. Prop. pag. 1. sqq. de codicum Neapolitani et Groningani

*) Lachmann praef. ed. Lips. p. IX sq. Hertzberg q. P. p. 233. Jacob adn. pag. 155. Keil obs. crit. Prop. Bonn. 1848. Haupt duobus progr. Berol. 1854. 56. Heimreich. quaest. Prop. cap. I.

**) obs. Prop. p. 23.

***) Fleckeiseni ann. 91. p. 781 et praef. ed. p. 6.